

sue conditionem et statum ac facti circumstantias utniversas, quam cito poterit fideliter et explicite referat ad notitiam dictae Sedis, recepturi humiliter et efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari.

Si in casu perpetuae dementiae coadjutor seu vicarius capitularis eligatur, electio, ut liquet ex decretali allato, tantum perficitur omnium vel saltem duarum tertiarum partium suffragio.

Plures censem vicarium generalem Episcopi amentis, si existat, suum servare officium et auctoritatem, et in hoc igitur casu vicarium capitularem eligendum non esse (1).

CAPUT XVIII.

OFFICIUM CAPITULI CATHEDRALIS SEDE VACUA.

§ 1. Quando sedes episcopalnis vacat.

I. Sedes Episcopalis vacat : 1º per mortem Episcopi, 2º per ejus renuntiationem, 3º per ejus translationem ad aliam sedem, 4º per illius depositionem, 5º per notoriam hæresim, ut dictum est cap. XVII, § 6, 6º quasi vacat, quando a paganis aut schismaticis captus est, ut dictum est ibidem § 5, 7º item quando factus est amens, ut dictum est § 7. Non vacat autem per absentiam Episcopi, neque per ejus incarcerationem aut expulsionem a proprio gubernio, neque per excommunicationem aut suspensionem, sicut dictum est cap. præc. § 3, 5 et 6.

II. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ, et non præsumptæ Episcopi, vel a die certæ translationis, resignationis et hujusmodi, ita ut, quævis sit causa vacationis, capitulum jurisdictionem exercere non possit ante certam habitam vacationis notitiam, sicut declaravit S. Congregatio Episc. et Reg. in una Neritonen 24 Maii 1654 (2).

Notandum autem est, capitulum, post certam habitam vacationis notitiam, non posse uti jurisdictione, neque procedere ad electionem vicarii capitularis, quando vicarius Episcopi defuncti, vel translati, vel renuntiantis missus fuerat a Sede Apostolica vel a

(1) Vid Andreucci n. 164; Hermes loco cit. IV, 3; Craisson n. 1220; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. 1, tit. X, n. 5.

(2) Lucius Ferraris *Sedes vacans* n. 6.

S. Congregatione, quia hujus jurisdictione, utpote a Superiori data, sede vacante non suspenditur, nec supprimitur (1).

III. In casu mortis sedes vacat, statim ac moritur Episcopus. Capitulum tamen, ut jam dictum est, certam mortis notitiam habere debet, antequam aliquem jurisdictionis actum exerceat (2). Si Episcopus apud propriam ecclesiam moriatur, nulla alia notitia necessaria est, quam quæ ex veritate facti oritur; et si extra diocesim dicesserit, sufficit notitia undecumque hausta, sufficientibus indiciis manifestata (3).

2. Per renuntiationem sedes vacat, non ab eo tempore, quo quis renuntiat vel abdicat; renuntiatio enim ut valida sit, a Papa acceptanda est : sed ab eo tempore seu momento, quo Episcopus ab ecclesiæ vinculo absolvitur in consistorio Sanctitatis Suæ juxta declarationem sequentem : *Die 14 Decembris 1624 Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium negotiorum Episcoporum præposita, S. D. N. approbante, censuit ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ. Et posteaquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariae jurisdictionis, eamque transire in capitulum tanquam Sede vacante : et ita posse, et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac vicarium juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere sedemque vacantem publicare.* Hanc declarationem confirmavit Urbanus VIII per litteras Apostolicas *Nobis super 20 Mart 1625* (4). Sedes igitur vacat ab eo tempore, quo Episcopus per Sanctitatem Suam ab ecclesia absolvitur in consistorio : Episcopus tamen renuntians jurisdictionem retinet, quoisque hoc ipsi nuntiatum fuerit; eo autem nuntio accepto, Episcopus renuntians illico se

(1) S. C. Episc. 4 Aug. 1578 in *Aquitana*; 17 Nov. 1590, apud Lucium Ferr. *Capitulum* art. III, n. 38; 16 Nov. 1815, *Fundana*; 21 Mart. 1832, *Lucana*, *Analecta juris Pontif. sér. 12*, fol. 869 et 1134.

(2) Bouix p. V, s. I, cap. IV.

(3) Louvrex dissert. IV, n. 21 et 22.

(4) Impressæ reperiuntur post tractatum Barbosæ de officio et potest. Ep. edit. Lugdun. p. III. Vid. Reiffenstuel lib. I *Decretal.* tit. VII, n. 36; Bened. XIV de Syn. lib. XIII, cap. XVI, n. X; cap. præc. XVII, § 4.

abstinere debet ab exercitio ordinariæ jurisdictionis; et hæc transit in capitulum, quod eadem statim uti potest et debet; nisi, ut bene notandum est, Papa jurisdictionem et diœcesis administrationem expresse relinquat Episcopo renuntianti usque ad v. g. captam possessionem successoris.

Ad certam habendam notitiam, Episcopum per Sanctitatem Suam in consistorio esse absolutum, non requiritur, ut Episcopus renuntians litteras Apostolicas receperit, sed sufficit ad eum pervenisse testimonium Secretarii Sacri collegii, vel aliud æquivalens, ut liquet ex eadem declaratione 14 Dec. 1624 (1).

Ut igitur sedes episcopal is per renuntiationem vacet, renuntatio seu dimissio acceptata esse debet a Summo Pontifice; et nequaquam sufficit, quod Episcopus abdicet inter manus regis aut alterius, et ab eo acceptetur (2).

Si Episcopus renuntiaverit, et Papa acceptaverit, jurisdictione reicta Episcopo renuntianti usque ad captam possessionem successoris; Episcopus autem, qui renuntiavit, moriatur ante captam successoris possessionem: per hanc mortem sedes fit vere vacans, jurisdictione igitur transit ad capitulum, et proinde capitulum vicarium capitularem eligere potest ac debet (3).

3º Per translationem ad aliam ecclesiam sedes vacat eodem modo ac per renuntiationem, ut liquet ex declaratione 14 Dec. 1624 S. C. Episc. supra allata. Licet igitur aliqui putent, jurisdictionem non devolvi ad capitulum, si Episcopus ad aliam ecclesiam translatus fuerit, et bullas etiam translationis acceperit, sed novi Episcopatus possessionem nondum adiverit (4); omnino tamen certum est, Episcopum, accepto nuntio quo modo supra dictum est, abstinere debere ab exercitio omnis jurisdictionis, et hanc transire in capitulum.

Si Episcopus translatus, post habitam translationis notitiam, sine speciali Sanctitatis Suæ facultate, in diœcesi administranda pergeret; capitulum statim posset et deberet sedem vacantem declarare, ordinaria jurisdictione uti, et vicarium capitularem eligere.

Notandum autem est, dicta intelligenda esse de Episcopo, qui volens a sua ecclesia transfertur, ut supra dicitur in declaratione

(1) Bened. XIV de Syn. loco cit. Bouix p. V, s. I, cap. IV.

(2) Craisson Manuale jur. can. n. 508.

(3) Rev. des sciences ecclésiast. 1878, Avril fol. 352.

(4) Vid. Andreucci n. 165.

14 Dec. 1624: si enim Summus Pontifex transferat Episcopum absentem et penitus ignorantem; prior ecclesia tantum vacare censemur post scientiam et consensum ab Episcopo translato præstitum, nisi secus in litteris Apostolicis exprimatur, quia Papa Episcopum absentem aut ignorantem transferre non solet, nisi consentiat (1).

4º Per destitutionem sedes vacare potest, dum Summus Pontifex ex altioribus rationibus procedens, diœcesim supprimit, et Episcopum destituit, sicut factum fuit 1801 post revolutionem Gallicanam per novam circumscriptionem diœcesum. In hoc casu sedes vacat, quando destitutio Episcopo a Sede Apostolica vel hujus nomine nuntiatur, uti de renuntiatione et translatione dictum est, et sicut in casu allato factum est per Bullam *Qui Christi Domini* 1801 tertio kalendas Decembris; nisi jurisdictione et diœcesis administratio ex speciali Sedis Apostolicæ dispositione Episcopo deposito relinquatur usque ad captam possessionem novi Episcopi.

Alio modo sedes vacare potest ex delicto. In hoc casu sedes vacat, et jurisdictione transit ad capitulum statim ac pronuntiata est depositionis sententia; et capitulum illam exercere potest et debet, statim ac certam hujus sententiæ notitiam habuerit (2).

5º Per notoriam hæresim sedes eodem modo vacat, videlicet statim a prolatâ judicis sententia, qua Episcopus hæreticus declaratur; et habita certa hujus sententiæ notitia jurisdictione remanet penes capitulum (3).

6º In casu Episcopi a paganis aut schismaticis capti ut dictum est cap. præc. § 5, jurisdictione ad capitulum devolvitur statim ac impedimentum compleetur; et capitulum illam exercere potest, quam primum certam de eo notitiam habuerit (4).

§ 2. Sede vacante, jurisdictione transit ad capitulum.

I. Vacante Sede Episcopali, tota Episcopi jurisdictione transit ad capitulum cathedralis ecclesiæ per textus in cap. *His quæ et cap. Cum olim lib. 1. Decretal. tit. XXXIII de majoritate et obe-*

(1) Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VII, n. 41-43; Bockhn. lib. 1, Decretal. tit. VII, n. 13.

(2) Bouix p. V, s. I, cap. IV.

(3) Bouix ibidem.

(4) Bouix ibidem.

dientia c. XI et XIV (1). Hoc non alieno mandato aut delegatione efficitur, sed potius nativo ac proprio jure (2).

Jurisdictio dicitur transire et devolvi ad capitulum, sive enim dicatur, jurisdictionem tantum incipere existere in capitulo sede vacante, ut alii volunt, sive eam habitualiter permanere in capitulo, et sede vacante transire ad actum et exercitium, ut alii censem; perinde tamen est quoad effectum, ac si sede vacante, jurisdictione existere inciperet, quia, etiamsi jurisdictione capitulo in habitu permanenter inhæreret, illud equidem nullum ejus actum, vivente Episcopo, exercere potest (3).

Notandum est, jurisdictionem, sede vacante, communiter et per se transire ad capitulo, dari autem posse immemorabilem consuetudinem aliasque speciales circumstantias, in quibus, sede vacante, illa non devolvitur ad capitulo, sed ad vicinorem Episcopum aliasque personam in dignitate constitutam (4). Item cum Episcopo ab Apostolica Sede Vicarius Apostolicus datus fuisset, is, mortuo etiam Episcopo, officium retinet, ut § 1, ad II dictum est.

II. Capitulo, sede vacante, omnia facere potest, quae sunt ordinariæ jurisdictionis episcopalis, nisi expresse prohibita reperiantur. Circa hanc materiam tres diversæ antea dabantur sententiæ: prima asserebat, capitulo sede vacante succedere Episcopo quoad illa sola, quae in jure reperiuntur eidem concessa; secunda, distinguendo inter jurisdictionem contentiosam seu necessariam atque inter voluntariam, illam quidem concedebat transire in capitulo sede vacante, non vero istam; et tertia docebat et pro regula statuebat, capitulo sede vacante succedere Episcopo in omnibus, quae sunt jurisdictionis ordinariæ, demptis casibus in jure expressis. Hanc tertiam sententiam cæteris probabiliorem habet Reiffenstuel (5); et postquam SS. D. Pius IX in litteris Apostolicis *Romanus Pontifex* 1873, quinto Kalendas Septembbris motu proprio ac certa scientia, et mutura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaraverit et decreverit, totam ordinariam Episcopi jurisdictionem, quae vacua sede Episcopali ad capitulo venerat, ad vicarium transire; majorem adhuc probabilitatem vel

(1) Ita Bened. XIV de Syn. lib. 2, c. IX, n. II; Litt. Apost. Pii IX *Romanus Pontifex*, 1873.

(2) Devoti Instit. Canonic. lib. 1, tit. III, § 61.

(3) Bouix p. V, sect. 1, cap. II.

(4) Bened. XIV de Syn. loco cit. n. 1.

(5) Lib. III Decretal. tit. IX, n. 21 et seqq.

etiam certitudinem sibi conciliavit: dicitur enim ordinaria Episcopi jurisdictione, quæ venit ad capitulo, et transit ad vicarium; si autem ordinaria sit jurisdictione, non oportet, ut aliquid in jure sit concessum, sed sufficit, si ad ordinariam pertineat jurisdictionem; neque distinguendum est inter jurisdictionem contentiosam, et voluntariam, cum tota transeat, demptis casibus in jure expressis (1). Quæ et quanta hæc sit potestas, explicabitur cap. XXIII, ubi de Vicario capitulari agetur.

III. Ante electionem vicarii capitularis, infra octo dies faciendam, administratio jurisdictionis spectat ad totum capitulo, non autem ad primam dignitatem, neque ad Archidiaconum aut alium. Capitulo hanc jurisdictionem de jure communi per se exercere potest; ita ut singula negotia per canonicos capitulariter congregatos expediantur: cum nullus reperiatur textus, quo capitulo ad suæ jurisdictionis exercitium alteri committendum obstringatur; quamvis revera consultius semper, atque viduatæ ecclesiæ utilius visum fuerit, singulari alicui personæ, e capitularium cœtu seligendæ illud demandare (2), eique interim administrationem nomine capituli exercendam commitere (3).

Post electionem vicarii capitularis, jurisdictionem exercet idem vicarius capitularis, ut in sequentibus dicetur et explicabitur, et sicut SS. D. Pius IX in litteris Apostolicis *Romanus Pontifex* 1873 declarat et decernit: *totam ordinariam Episcopi jurisdictionem, quæ vacua Sede Episcopali ad capitulo venerat, ad vicarium, ab ipso rite constitutum omnino transire.*

§ 3. Munera capituli ecclesiæ cathedralis, sede vacante.

1. Capitulo dioecesim administrat usque ad electionem vicarii capitularis, infra octo dies faciendam, ut dictum est § 2 præc. ad III.

(1) Sexti Decretal. lib. 1, tit. VIII de suppl. neglig. Præl. c. III *Si Episcopus*, tit. IX, de temp. ordinat. c. III *Cum nullus*; tit. XVII de majorit. et obedient. c. *Episcopali Sede vacante*; Barbosa de canonice cap. 42, n. 61; Lucius Ferraris *Capitulum art. III*, n. 19; Scarfantonius lib. II, tit. IV, animad. 1 et 2, lib. IV, tit. VII, animad. 2; Pirhinc lib. 1, tit. XXXIII, sect. 2, § 2; Krimmer lib. 3, Decretal. n. 851; Hermes lib. 1, s. 2, § 1.

(2) Ita Bened. XIV de Syn. loco cit. n. 2.

(3) Barbosa loco cit. n. 29; Craisson n. 1222; Hermes loco cit. § 2 et lib. 2, sect. 1, cap. III; Scarfantonius lib. IV, tit. VII, animad. 4 et 5.

II. Capitulum, quantum ad ipsum spectat, tenetur exequias Episcopi defuncti celebrare, sicut in cæremoniali Episcorum lib. 2, cap. 38 præscribitur, et saltem curare, ut omnia ibidem præscripta, religiose serventur.

III. Concilium Tridentinum sess. XXIV de reform. cap. 1, statuit, ut, quam primum ecclesia vacaverit, supplications ac preces publice privatimque habeantur; atque a capitulo per civitatem et dioecesim indicantur, quibus clerus populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare. Unde juxta cæremoniale Episcorum lib. 2, cap. XXXVIII, n. 27. « Sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum fuerit, preces ad Deum continue offerendæ sunt pro opportuna novi Episcopi electione impetranda; et conveniret, ut singulis diebus, vel saltem semel in hebdomada, Religiosi processionaliter ad ecclesiam cathedralem accederent, litanias cantantes, et ibidem pias et devotas orationes recitarent, cum canonicis et clero ejusdem ecclesiae cathedralis, ut Deus illis quamprimum concedere dignetur novum et bonum pastorem, qui ecclesiam regere et animarum curam digne et fructuose habere valeat et possit. »

IV. « Capitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant: quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. (1). Cœconomus ille, ut liquet, ibi tantum constituendus est, ubi fructus percipiendi sunt. Quapropter in Gallia, Belgio aliquæ regionibus, in quibus mensa episcopalis consistit in pensione, quæ a gubernio solvit, et sede vacante suspenditur, œconomi constitutio fit inutilis, quia fructuum percipiendorum ratio non habetur. Ubi constituendus est, a capitulo eligendus est sicut vicarius capitularis, quia Concilium Tridentinum utrumque eodem modo constituendum præscribit.

V. Idem Concilium Tridentinum loco citato sess. XXIV, c. XVI de ref. statuit, ut capitulum et officialem seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur. De hoc in sequentibus agetur.

VI. Capitulum sede vacante morte Episcopi, depositione vel translatione aliave ratione, inventarium de rebus ecclesiæ confidere tenetur, de quo Episcopo novo rationem reddere debet (2).

(1) Ita Conc. Trid. sess. XXIV, cap. XVI de reformat.

(2) Barbosa de canonis cap. 42, n. 27.

Post mortem Episcopi plura utensilia ab eodem reicta, debentur ecclesiæ cathedrali, sicut SS. D. Pius IX litteris Apostolicis *Quum illud plurimi* 1 junii 1847, ad præcidentas omnes hac super re dubitationis ac controversiæ causas, auctoritate Apostolica decrevit et mandavit ad III: « Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V, incipientis *Romani Pontificis*, ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum cui titulus canon missæ; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvum cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus, et tintinnabula, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastorale, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata; exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiæ fuisse donata. Volumus præterea teneri, ac debere episcopos confidere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex ecclesiæ redditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat, ea omnia redditibus ecclesiæ comparata fuisse..... IV. Quando episcopus duas vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales habita ratione fructuum ac temporis, juxta constitutionem S. Pii V, incipientem *Romani Pontificis*. V. Ubi vero aliquis episcopus simul præfuerit duabus, vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quæ habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus æquis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earundem ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo consti-

» tuant; si vero reditus divisi fuerint, ac separati, divisionem
» fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter
» ratione fructuum. VI. Quod si constet, Episcopum, qui per
» translationem duabus ecclesiis successive præfuerit, comparasse
» sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius ecclesiæ, nulli
» divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam
» cathedralem tantum spectabunt illius diœcesis, ex cuius episco-
» palis mensæ proventibus fuerint acquisita. Hæc volumus et
» mandamus.... Datum Romæ die 1 junii 1847 » (1).

Notandum est 1º, quamvis Episcopi facultate testandi a Sede Apostolica donati fuerint de bonis ex redditibus ecclesiasticis acqui-
sitis, inter hæc tamen bona non comprehendendi sacra utensilia: ejus-
modi enim utensilia propria manent ecclesiæ, cui præfuit Episcopus;
nisi forte-necessaria sint ad solvenda debita, quæ Episcopus defunc-
tus contraxit (2).

Notandum 2º quoad statum præsentem ecclesiarum Galliæ, Belgii
et similium regionum, pensionem Episcopis a gubernio attributam
rationem induere redditus ecclesiastici, et proinde utensilibus ex
hujusmodi pensione comparatis, applicandam esse citatam consti-
tutionem Pii IX; cum autem lex civilis, si Episcopus ab intestato
moriatur, plures hujusmodi res hæredibus attribuat, concludendum
esse, Episcopis incumbere obligationem, præcavendi per testamen-
tum aliudve medium idoneum, ne ecclesia cathedralis suo jure
fraudetur, et prædicta constitutio violetur (3).

CAPUT XIX.

DE VICARIO CAPITULARI.

§ 1. Quando vicarius capitularis eligendus est.

I. In litteris Apostolicis SS. D. Pii IX *Romanus Pontifex* 1873
haec habentur: « Juxta antiquam ecclesiæ disciplinam, sede epis-
copali vacante, diœcesis administratio ad capitulo cathedralis
ecclesiæ devolvitur; quod olim per se ipsum diœcesim, toto
tempore, quo sedes vacabat, administrare poterat, vel uni aut

(1) Acta Sanctæ Sedis 1867, vol. 3, fol. 279.

(2) Acta S. Sedis loco cit. fol. 242.

(3) Bouix de capitulis p. 3, cap. 1, § 2.

§ 1. QUANDO ELIGENDUS.

187

» pluribus diœcesim administrandam committere, libera eidem
» reicta potestate deputatos eligendi, eisque deligatam jurisdic-
» tionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi et cons-
» tringendi.

» At vero Concilii Tridentini Patres animadvertisentes gravis-
» sima, quæ passim oriebantur incomoda ex administratione
» viduatæ ecclesiæ cœtui personarum diversi fere ingenii concre-
» dita, ad ea vitanda sapienter decreverunt, ut *Capitulum, sede*
» *vacante, Officiale seu Vicarium, infra octo dies post mortem*
» *Episcopi, constituere, vel existentem confirmare omnino*
» *teneatur* » (1).

II. Vicarius igitur capitularis infra octo dies post mortem Epis-
copi eligendus est. Quod in Concilio Tridentino statuitur de sede
vacante per mortem Episcopi, communiter intelligitur de vacatione
per translationem, renuntiationem aliamve causam (2). Quando octo
illi dies incipiunt, dictum est cap. XVIII, § 1. Dies procul dubio
intelliguntur completi, ita ut, si Episcopus obierit initio primæ diei
mensis, integra dies octava ejusdem mensis comprehendatur; et
modo capitulo vicarium elegerit ante finem diei octavæ completæ,
valida sit electio, quia fit *infra octo dies post mortem Episcopi*,
uti Concilium statuit.

III. Ex particularibus circumstantiis expedire potest, quod vica-
rius capitularis quam primum constituatur; intra octo vero dies
capitulo non arctatur ad constituendum vicarium, sed electionem
usque ad ultimam diem differre potest, et interim per seipsum
administrare valet, ut dictum est cap. XVIII, § 2, ad III (3).

IV. Infra octo autem dies vicarius capitularis eligendus et consti-
tuendus est; ita ut capitulo ultra octo illos dies diœcesim per
seipsum administrare nequeat; sicut doctores textum Concilii Tri-
dentini ita communiter intelligunt, et intelligendum declararunt
variæ decisiones S. Congregationum (4).

V. Si electio invalida judicata fuerit, decurrente autem adhuc
termino octo dierum, infra quem electio alias a capitulo rite fieri
posset, electio non devolvitur ad Metropolitanum (5); sed capitulo

(1) Sess. XXIV, cap. XVI de reformat.

(2) Bened. XIV de Syn. lib. 2, cap. IX, n. 2; De Angelis, Prælect. jur. can.
lib. 1, tit. XXVIII, n. 17.

(3) Barbosa de canonis cap. 42, n. 31; Scarfantonius lib. 4, tit. VII, anim. 4.

(4) Ita Bouix p. 5, cap. VI; Hermes lib. post s. 1, cap. III.

(5) S. C. C. 6 Junii 1739, § 7, *Bitun*, apud Zamboni tom. 4, *Vicarius capitu-
laris* § 1.